# PIOS
Piæ, ſed proh dolor! infelicis Puerperæ
CINERES
# F E M I N Æ
tam mira Virtutum ſvavitate, quam avita morum
comitate gratiaque inquilina
*Nobiliſsimæ, Florentiſsimæ,*
# CONSTANTIÆ MAGDALENÆ SCHWERDTMANNIÆ
NAT: PICCARTINÆ
# V I R I
*Magnifici ac Generoſi*
# D O M I N I
# C A S I M I R I LEONIS DE SCHWERDTMANN
Inclutæ Reipubl. Thorun. Conſulis Iudicii Terreſtris Culmenſis Aſſeſſoris digniſſimi, nec non p. t. Burggrabii Regii graviſſimi
*Coniugis ante in vita hac dulciſſimæ, iam in altera Incolæ novæ feliciſſimæ*
Anno 1729. d. 28. Ianuar. hora noctis
qua
ante Menſem peperit
media
ex hac tenebroſa miſeriarum valle ad lucidiſſimos Sanctæ Sionis
montes in ipſo ætatis flore translatæ
ſeqv. vero 3 Febr. ritu Chriſtiano in Æde Divi Iohannis honorifice tumulo illatæ
*juſta ex debito obſervantiæ lacruma comitari voluit*
## DOMUS SCHWERDTMANNIANÆ
Cultor perpetuus & indefeſſus.

---

T H O R U N I I
Impreſſit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYNN. Typographus.

# ΘΡΗΝΩΔΙΑ.

Mira res ſane nimium' ſuperbus
Spiritus, nec non hominis caduci
Gloria vana cito tranſeunte
pectus aduſtum.

Qvo refert vere pluvialis undæ
Turgidam bullam, ſpeciemve vitri
Splendidi nec non fragilis, quod ipſum
nemo negabit.

Ambo quæ puncto, citiusve forſan
Temporis parvo fieri, ſed ambo
Poſtmodum rurſus citius perire
ſæpe videmus.

Mira res ſane, quod & altiora
Sæpius tentet ratione cæca,
Haut ſuas vires ſatis, ut decorum,
experiundo.

Aureos illud ſibi pollicetur
Indies montes, *Rationis*, eheu!
More veſano minime probanda
*Entia* fingens.

Editas arces ſibi dum cavasque
Mœnibus circum latus omne cinctas
Scilicet turres validis in alto
aëre ponit.

Firma molitur nimis occupatum
Rebus infirmis, ſtabilesque fines,
Stare dum per ſe neqvit, en, inani
cogitat arte.

Summa ſcrutatur, licet ima quæquæ
Mente vix apta penetret, laborans
Hoc modo tandem tetigiſſe ſummum
vertice cœlum.

Et licet nulli ſua tuta conſtet
Portio vitæ, licet & prematur
Hic novo ſemper dolor, heu! dolore,
pœnaque pœna;

Indies

Indies nec non mala ſubſequantur,
Luctus & luctum comitetur usque
Anxior longe, tamen hæcce curat
aſſe minora.
Vana ſectatur, neque vana dici
Illa vult, multo quia ſtant labore;
Atqve ſic vanis magis usque gaudet,
vanaque poſcit.
Immemor, quod nil, niſi fumus, imo
Vmbra, ſi verum liceat fateri,
Vana ſit ſaltem, mora quam ſat arcta
temporis aufert.
Hinc fidem vanæ fragilique ſorti
Inſolens tantam genus hocce præſtat,
Ac ut incautum, ſubito, futuri,
tollitur ævo.
Huncce dum præcox Libitina ſecum
Ducit ex amplo numero Potentum;
Alterum, turba ſaliente, triſti
evocat ore.
Hunc dapes inter Siculas repente,
Maſſicos inter calices ſed illum,
Inter at ſpurcos Veneris furores
enecat iſtum.
Inter umbones rabidi phalangum
Martis æratos cecidiſſe multos,
Qvis negat? multos cerealis inter
meſſis ariſtas.
Martium quosdam latus, heu! minaci
Enſe dum cingunt, periiſſe conſtat,
Conſtat at quosdam, ſua quando laſſa
arma reponunt.
Sæva non paucos laniat ferarum
Ira, ſed plures jugulat cruenta
Sæpe ſpem citra nimium ferocis
dextra latronis.
Sorbet hos partim pelagus profundum,
Terra ſed partim tegit hos lutoſa:
Vel dies multus, vel & alta nox ſit,
funera cernes.
Interim nulli necis hæc parata
Appropinquantis ſibi tela cenſent:
Vix fidem certam tibimet daturus
unus & alter.
Craſtini ſaltem memores diei
Craſtinum TVNC, ah! In agone ſperant;
Craſtino ſed ſic redeunte nunquam,
decipiuntur.
Ergo felices modo, qui loco TVNC
NVNC ſacrum Divi Simeönis ILLVD
Eligunt, certi, ſibi quodque tempus
eſſe ſupremum.
Hiſce ſed fatis nimium dolendis
Vterum geſtans benedictione
NVMINIS ſexus muliebris, eheu!
proximus adſtat.

Alterum

Alterum cymba rigidi Charontis
Dum pedem jam jam tenet, altero sed
Vix adhuc terram titubante matrem
hanc premit almam.

Inter hos autem numeranda præsens
Non minus felix obitu BEATA,
Vana quæ mundi lubricæque vitæ
respuit usque.

Dum Redemptorem Dominumque IESVM
NVNC salutarem sibimet per ævum
TVNC fide vera studuit tenere,
NVNCque videre.

Interim vero studium laborque
Tantus haut multa fuit absque fruge,
Digna dum merces animam secuta,
regna piorum,

Gestiens ad quæ veluti fidelis
Serva per partus penetrans dolores
Vltimo venit PATRIS ad SVPREMI
velle benignum.

In quibns sancta fruitur quiete,
Cœlicam vere sine fine vitam
Cœlicæ ducens Simeönis inter
gaudia pacis.

Ergo nil præter pia vota nobis
Qvotquot hoc mœstum lacrymis acerbis
Plangimus funus, memori notanda
pectore restant,

Qvæ simul TV VIR, GENEROSE CONSVL,
REGIS AVGVSTI brachio potente,
NOBILIS, justo, placide MARITÆ es
more daturus

O nimis faustam, nimis & beatam
TE, DEUS quam sic super astra ponit,
Qvamque sub finem TRIAS IPSA vitæ
sic beat ALMA.

# EPITAPHIUM.

DUm *pario, pereo*: sed dum tibi *parêo*, CHRISTE,
Non *pereo*, quoniam vita *parata* mihi.
Interea tristis mihi qui fuit, at Tibi dulcis
Partus, *TE* recreet, *PARS MEA*, vive! vale!